



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 106. Poloni pro Regis electione congregati

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV. quo electus fuerat, matura fatis prudentia regere posset, delectus est in Regni A.C. 1444. Gubernatorem Joannes Huniades, nominis sui fama longe celeberrimus. Ergo Hungari ad Fridericum Imperatorem Regis sui Patruelem, in cujus aula Ladislaus educabatur, præcipuos Regni Proceres ablegant, qui ab eo impetrarent, ut novus eorum Rex subditos præsentia sua honorare, ac cum illis in ipso Regno suo morari vellet. Verum Hungari hanc gratiam a Cæsare nec precibus, nec minis, imo nequidem armis, quæ Huniades contra ipsum eo ex capite movit, obtinere poterant; Friderico enim persuasum erat, Nepotis sui salutem nunquam satis consultum iri in gente, cujus indoles nimium inconstans & rara inter se animorum consensio esset.

## §. CVI.

*Poloni pro Regis electione congregati.*

*Michov. l. 4. n. 58.*  
*Crom. l. 22.* Poloni, cum falsis rumoribus seducti, Regem suum adhuc vivere, captumque in quadam urbe detineri crederent, in Thraciam, & Bulgariam Nuntios ablegarunt, qui de Regis sui fato certiora referrent. Attamen cum omnes exploratores tristem Ladislai obitum denuntiarent, Poloni Hungarorum exemplum secuti,

cuti, alium quoque Regni successorem sibi eligere meditantur, & primo Fridericum Marchionem Brandeburgensem, ut coronam acciperet, rogant, qui tamen collaudato eorum affectu respondit, Casimiro Lithuaniae Duci, defuncti Regis Fratri hujus dignitatis jura competere, nec sine injustitiae nota illum praeterendum; quam ob causam Poloni sua in eum vota contulerunt. Verum cum Casimirus oblatum diadema nec recusaret, nec protinus acceptaret, tum quod incerta adhuc fratris sui mors esset, tum quod & Lithuani aegre eum a se avelli paterentur, aut denique, (quae potissima erat ratio, quamque allegare non audebat) electionem longius protrahi cuperet, ut amplius deliberandi spatium lucraretur, Poloni morae hujus pertaesi, anno proximo mense Martio nondum evoluto Boleslaum Massoviae Ducem Regem renunciarunt, seu verius, se eundem electuros declararunt, nisi Casimirus ante Pentecosten mutatae voluntatis signum daret. Haec Polonorum sententia in publicis comitiis decreta non modice Casimiri mentem turbavit, qui quidem datae repulsae poenitentia ductus, nihilominus aliis rursum tergiversationibus negotium protelavit.

Sæcul. XV.  
A.C. 1444.